



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annales Episcoporum Slesvicensium

Cypræus, Johann Adolph

Coloniæ Agrippinæ, 1634

Capvt X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

Helmoldus autor est, idq; ex ruderibus, & vallorum reliquijs, & structurâ, nec non ex riuis, in quibus aggeres in vsum molarum aquis colligendis congesti sunt, haud obscurè colligi potest, omnem autem saltum à Saxonibus habitatum fuisse, constat, Nam Germani & Saxones, quos Augustus, teste Suetonio *cap. II.* trans Albim fluuium summouit, in Holsatiâ, Wagriâ, & Ducatu Slesuicensi confederunt multos annos. Et tandem Britanniaë Insulaë opibus & commoditate allecti, relicto solo Patriaë, Britanniam occuparunt. Ita factum est, vt Wagria & Ducatus Slesuicensis incolis vacuus, desertus iaceret. Atq; hoc ita se habere, testimonio & autoritate *Beda* comprobatur, qui *libro I. cap. 15.* ita scribit: *Angli de Patria illa, quæ Angulus dicitur, & ab eo tempore vsque manere deserta inter Prouincias Vitarum & Saxonum perhibetur, &c.* Quamuis alij *Iutarum* legendum censcant. Ego verò *Vitarum* vocabulum retineo. Nam adhuc in Ducatu Slesuicensi reliquiæ exstant *Vitarum*. Hinc *Sundvit*, quasi dicas *Vita australes* Vide *Cambdenum fol. 58.* (*VVagerlandiam dictam existimo à voce Wagens Germanica & Saxonica, quod Latini periclitari dicunt. Vnde Wagehelse / qui lucri causa in discrimen vitam & fortunas adducunt & periclitantur. Quales fuisse illos, qui in Angliam inuaserint, verisimile est.*)

 CAPVT X.

DANIA pacata, Ecclesijsq; constitutis, Otto Imperator in Germaniam rediit. Haraldus Regis mater, Thyra, vidua Gormonis, quam Saxo *caput maiestatis Danica* appellat, cum videret, excursions & irruptiones quotidie à Ger-

à Germanis alijsq; fieri, secum deliberare cœpit, quam ratione huic malo occurri posset: eoq;ue magis, quòd indignè ferret, Danicam gentem, quæ hæcenus exteris terrori fuisset, & finitimis bella intulisset, nunc eò redactam esse, vt agrè hostem suis finibus prohiberet, & regionem ab iniuriâ defenderet. His rebus permota, popularibus & subditis suis autor fuit, & suasit, vt vallum à mari Orientali ad Occidentale excitarent & ducerent, quo Isthmus Cimbricæ Chersonesi clauderetur, & contra incursum hostium muniretur. Hac enim ratione posse excludi exteros, quòd vallo clausa Peninsulâ, nemini aditus pateret. Id hoc facilius eis persuasit, quòd Isthmus Chersonesi, hoc est, Intercapedo & terra inter duos illa maria, vnus saltem esset milliari Germanici, ideoq; nullo negotio contra transgressionem Germanorum sepiri ac muniri posset. His rebus adducti, & autoritate Reginae permoti, opus illud admirabile & æternâ memoriâ dignum, aggredi constituerunt. Et vt in opere tanti momenti, laboris æqualitas seruaretur, angustias illas Isthmi inter se partiti sunt, idq;ue sortibus opere diuiso. Quarum vna pars Scaniae, alia Selandiae, terra Fioniae excitanda atque vallanda sorte obtigit. Scaniae illa pars cecidit, quæ à portâ illâ, quæ vulgò *Kalegatum* appellatur, *Hollingstedium* vsque protenditur: Selandis autem & Fionibus portio illa, quæ à portâ versus Sliam vergit, obuinit. Cuius rei adhuc vestigia euidentissima supersunt, & antiquitatis studioso ad oculum demonstrari possunt. Et quòd cibariorum copia suppeteret, commeatum ad alendam multitudinem eorum qui foderent, & operarentur, Iuti & Slesuicenses subleuarunt, & comportarunt. Vallum autem etiam fossa alta circumdederunt & cinxerunt, quæ adhuc vbique conspicitur. Murum multis post annis, Waldemarus
Rex,

Rex, deuictis Slauis, ductore Absalone Episcopo Slesuicensi, pro sua in Patriam pietate & beneuolentiâ ex cocto latere conflatum, excitauit, & vallo imposuit; vt potius valli occiduos lapsus, solidior nouæ molis structura reficeret, quam debilem eius situm crebrior in posterum ruina submitteret, vt Saxo loquitur: & quod Slauis, quos Carolus Magnus in transalbinam Saxoniam traduxerat, Ducatum Slesuicensem assidue excursionibus vastarent, ita vt solitudini penè simillima esset. Murus ille multis in locis septem pedes latus, & octodecim altus adhuc hodieprehenditur, quamuis magnâ ex parte lateres eruti, & murus dirutus sit, ita vt saltè rudera supersint. Nâ ex lateribus illis templum Suesingense conflatum & constructum est, & omnes penè furni, quibus panem in locis vicinis pinsunt & decoquunt agricolæ, ex iisdem lapidibus compacti sunt. Lateres in pago *Schubua* & *Hesbuia* cocti fuerunt. Nam & ibi fornaces lateritiæ & calcariæ fuerunt, quarum adhuc hodie vestigia ibi videre licet. Calcem ex Gotlandia comperarunt, & nauibus aduexerunt. Vallum in summitate latitudinem habet triginta, quadraginta, & quibusdam in locis quinquaginta pedum. Longitudo est vnius miliaris Germanici, vel sex Italicorum, vt rectè Hexamilium dici possit, quo nomine murum in Peloponneso appellarunt, vt deinceps ostendemus. Vallum quâ Orientem solem spectat, initium capit à flumine *Sliâ*, & per dorsum Chersonesi protensum vergit ad Occasum *Hollingstedium* vsque, idque paludes, quas æstus maris Occidentalis ad flumen *Threnam* efficit, excipiunt, & hac ratione à parte maris vnâ, ad alseram vsque Peninsulam claudit. Porta vna in medio relicta fuit, per quam transitus daretur, quam *Kalegatum* nominant, appellatione inde petitâ, quòd in loco vndique patenti & aperto, nullisque arboribus

ribus aut syluis impedito, ea sita sit, quasi dicas, Kael/ schlecht/ vnd offen. Arcem etiam vel Castellum adhuc hodie monstrant, vbi Thyra domicilium habuerit, non procul à pago *Denenvverko* paruo, quod vallo contiguum est & cohæret, idque adhuc, ea quæ supersunt rudera, & vallorum vestigia & fossæ ostendunt, vt certum sit Tyram in ædificationem valli multum operæ posuisse, omnique curâ incubuisse, vt eo Peninsula clauderetur, & muniretur, ad exemplum eius valli, quod ab Imperatore Seuero in Britannia ductum, Scotiam ab Anglis diuidit, (vulgò *vallum Seueri*, *Seuers Vvahl* appellatum) & vtramque regionem ab incursionibus tutam reddit. (Vide *Camdenum fol. 31. Habitabant, inquam, Romani intra vallum (quod Seuerum trans Insulam fecisse commemorauimus) ad plagam meridianam, quod ciuitates, fana, pontes, & statuae ibidem factæ testantur. Et fol. 32. Adrianus murum LXXX. mille passuum primus inter Barbaros Romanosq; duxit, & fol. 34. 38. ac 43.*) Quod Tyræ, vt quæ in Angliâ nata & educata esset, cognitum & exploratum fuit. Et si plerique rerum Gallicarum authores non contemnendi, Tyram huius operis inuentricem atque authorem primam non fuisse tradant: quod vallum illud multis ante annis & penè ducentis, temporibus nimirum Caroli Magni inchoatum, & ædificari cœptum sit. Inter quos *Annonius lib. 4. Historia Francorum de Vallo* ita scribit; *Godefridus limitem Regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit, eo modo, vt ab Orientali maris sinu, (quem illi Osterholt nominant) vsque ad Occidentalem Oceanum, totam Eidoræ fluminis aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret, vna tantum porta dimissa, per quam Carra & Equites emitti & recipi possent. Diuiso itaq; opere inter Ducés copiarum, domum reuersus est, &c.* Huc vsque *Annonius*. Quibus consentanea tradit *Paulus Æmilius lib. 3. his verbis; Danorum*

Rex

Rex Godefridus finibus suis non contentus, dum Imperium Germania bellis Francorum fessa, spe sibi destinata, congregari cum Carolo ausus, terra victus, quod Peninsulam incolens, mari se plus valere putaret, Daniam quae Francorum bello patebat, fossa aggereq; ac vallo praemuniit, vna omnino porta relicta, intraq; munitiones ad Oceanum vsque vtrimq; promotas, retraxit Emporium (Slesuicum scilicet) multarum gentium conuentu frequens. Sed & mari mox victus, positus cum vana spe ferocioribus animis, supplex pacem petens, impetrauit, &c. Haecenus Paulus Aemilius, qui vna cum Annonio verissima de hoc vallo tradit. Nam & portae reliquiae, & vestigia adhuc cuius obuia sunt, & transitum praebent illis, qui ex Holsatia & locis finitimis Flensburgum iter faciunt. Vulgus, vt supra annotauimus portam *Kalegatum* nominat, quasi dicas *portam carbonum*, vt quidam censent, (Cimbri enim *Kalen*, carbones, & *Gat* foramen appellant) quod per eam portam, *Hollingstedio*, *Ellingstedio*, & vicinis locis nemorosis, carbones in pagos & oppida inuehantur. Quod friuolum est, & nulla ratione nititur. Verisimilius est, a voce *Rahl* / quod nudum, detectum, & apertum significat, nomen portae impositum esse, quod ibi locus spatiosus & patens sit, nullisque arboribus impeditus, (*daß da eine grosse reume sey*) vt longè lateq; circumspecti vndique copia detur. (Omnia iam vepribus & dumis obsita.) Itaq; si Gallos tanquam bonos authores sequamur, primum eius operis inceptorem & authorem Godefridum constituamus necesse est. Nam foemineum id esse inuentum vt credam, vix adduci possum. Interim tamen Thyrae non minor laus tribuenda est, quae vt Patriae Regniq; salus in tuto collocaretur, (quod in primis Principi curae esse debet,) opus illud ante annos ducentos, plus minus, inchoatum, & haud dubie collapsum & attritum, refecerit & repararit, ad
exclu-

excludendos Saxones, Slauos, & Germanos, qui quotidie in Ducatum Slesuicensem excurrebant & irrumperent. Cui postea, vt supra demonstrauimus, murum Waldemarum adiecit & superædificauit, & portam claustris cinxit. Sed & Regina Daniæ Margareta, quam Nigram nominant Scriptores, vallum tertio reficiendum & instaurandum, murisq; & fossis pedum viginti muniendum curauit, idque circiter annum à nato Christo 1185. Canuto Waldemari Filio regnante, hoc est annos 380. post, quam Thyra Regina vallum instaurauerat, temporibus nimirum Frederici Primi Imperatoris Romani. Cuius adhuc vestigia satis multa supersunt. Et hæc quidem de vallo illo, quod *Denneverkum* nominat vulgus, quæ partim ex Historijs conquisiimus, partim diligenti inquisitione ac percontationibus accepimus, commemorare visum fuit. Quod Dani exemplo aliarum gentium, hostis propulsandi, patriæque in tuto collocandæ causa, exædificarunt & struxerunt. Nam si quis existimat, Danos solos Chersonesum Cimbricam aggere & vallo clausisse, is longè fallitur, cum constet Græcos duobus in locis idem tentasse & perfecisse, quemadmodum ex Herodoto & Xenophonte, alijsq; colligere licet. Ita Dercyllidas, cum Thraces Chersonesum infestarent, eam à parte maris vna ad alteram muro sepauit, teste *Xenophonte libr. 3. Historiarum Græcarum (fol. 380.)* Et Miltiades Isthmum ab vrbe Candiâ ad Pactium mare præsepit, ne Absynthij excursionibus regionem vastarent, qui triginta stadiorum est. vt *Herodotus tradit. (lib. 6.)* Ita Absynthios cohibuit, ne excurrerent. Omnium autem Isthmo nostro simillimus est Corinthiacus, in ea parte Græciæ, quæ Peloponnesus, nunc Morea appellatur, & omnium scriptis celebratur, siue situm respicias, siue latitudinem. Nam & hic inter duo ingen-

E

tia

tia maria Ionium scilicet & Ægeum iacet; de quo Ovidius:

*Æquora bina suis oppugnant fluctibus Isthmum,
Et tenuis tellus audit vtrumq; mare.*

Et latitudinem habet eandem, quadraginta nimirum stadiorum, vt *Hermolaus Barbarus* notauit, quæ quinque Italica milliaria conficiunt, alij sex milliarium spatio eum definiunt. Vnde & murum, qui à mari ad mare in Isthmo Corinthiaco deductus est, castrensi vocabulo Hexamilium vocarunt, atq; nos, Græcos sequuti, & vallum Danorum Hexamilium nominamus. *Strabo lib. 8.* διόλων nominat, per quem à mari ad mare plaustris nauiculas transfuehere solent, periculi vitandi & compendij causa, eumq; *πενήκοντα*, hoc est quinquaginta stadiorum esse scribit, vt & *Paulus Iouius*, vocabuli originem rationemque sequutus. Murus autem ille multis ante Christum natum annis ædificari ceptus est, & quidem Xerxis tempore. Nam cum è Græcia in Peloponnesum bello Persico frequentes irruptiones fierent, Peloponnesij, quò patriam in tuto collocarent, consternati clade Spartani Leonidæ, apud Isthmum congregati communibus suffragijs murum à mari ad mare ducere decreuerunt, hoc est à Lechæo ad Cenchræas teste *Diodoro lib. II.* Quod opus aggressi, aliquot hominum millia dies ac noctes continuos sine vlla quiete elaborarunt, alijs ligna, alijs lapides, alijs lateres, alijs corbes harena repletos comportantibus & conuehentibus. Itaque intra dies paucissimos murus ille stetit. Populi, qui opus fecerunt, apud Herodotum in Vrania enumerantur. Quem tamen Athenienses, bello Peloponnesiaco victores, postea demoliti sunt, quod causarentur, se illo opere Persis proditos fuisse. Murus autem ille postea reædificatus, vsque ad Patrum nostrorum memoriam stetit, & quidem vsque ad annum redemptionis-

demptionis nostræ 1453. Quo tempore Amurates Imperator Turcarum, quò facilius Peloponneso potiretur, Hexamilium demolitus est, & Peninsulam vastauit, incolis partim interemptis, partim in seruitutem abductis. Veneti autem post acceptam hanc cladem Hexamilium destructum intra decimum quintum diem restaurauerunt, opera 40000. hominum, quos muro sarciendo & redintegrando adhibuerunt. Et ita semper Turcis atque Christianis imprimis curæ fuit, Hexamilium vel reficere vel demoliri; quòd in eo magnam vim ac præsidium positum esse animaduertent, ad impetum hostium sustinendum, & ab ingressione propulsandum. Atque in ea re explicandâ, longiores, quàm par est, fuimus, his de causis, vt ostenderemus Corinthum & Slesuicum vrbes, & vtriusque Isthmum rectè inter sese conferri posse, quòd in multis conueniant. Et primùm in eo, quòd vtraque vrbs in Isthmo, inter duo amplissima maria sita sit. Item quod multi Isthmum perfodere conati sunt, ita & Cimbricnm. Deinde, quòd vtriusque Isthmi, hoc est, terræ angustæ inter duo illa maria, intercapedo & spacium, eiusdem sit latitudinis, hoc est, sex vel quinque milliarium Italicorum. Tertio, quod & Græci & Dani Isthmum muro & vallo cinxerint & sepserint. Item, quod vtraque vrbs, omnium testimonio, florentissima, potentissima, & amplissima fuerit. Postremò, quòd variam vtraque experta sit fortunam, & tandem deleta & prostrata iaceat, ita vt emergere non possit. In eâ autem re Græcis Dani anteponendi videntur, quòd Isthmum non tantum muro, sed & vallo fossisque altissimis clauferrint. Illud etiam addendum videtur, quod & supra attingimus, Imperatorem Seuerum in finibus Scotiæ & Angliæ vallum excitasse, atque ædificasse contra Pictonum & aliarum gentium incursiones, quod Seo-

tiam ab Angliâ interfluente flumine Tueda diuidit. Quæ omnia hic congerere, opere pretium visum est, vt ostenderemus Danos, neque nouum, neque temerè quidquam tentasse, quod vsum nullum præberet; sed quod ab alijs, & quidem à Græcis, qui omnium hominum sapientissimi habiti fuerunt, antea factitatum esset, idque patriæ conseruandæ & in tuto collocandæ causa, idem quoque illos effecisse ac præstitisse. Ideoq; laudem maximam, & memoriam sempiternam adeptos esse, quàm, quoad operis istius reliquæ vllæ, aut vestigium supererit, nulla vnquam delebit obliuio: culpandam autem posteritatem, quæ vallum vnà cum muro diruendum & excindendum permisit, quem absque vllis sumptibus & labore factum tectum integrumq; conseruare & debuissent & potuissent. Imò opus illud per seipsum constare, seque tueri potuisset, quòd ea esset firmitate, modo ab eo demoliendo & violando vulgus manus continuisset, idque Principes edixissent. Et hæc de opere Danorum satis superq;. Nuuc ad institutam narrationem redeamus.

C A P V T XI.

Pax placida vt fuerat Danis, tunc Præsul Haraldus.

Vt populo tradat dogmata sancta, venit.

Natus at expulso Genitore, fideq; negata

Christi, contemerat sacra rapitq; bona.

A. C. 951.

MARCONE Episcopo defuncto, Ecclesia Slesuicensis peculiarem adeptam est Episcopum Haraldum, qui ab Hadaldago Meiendorffio Slesuicum missus fuit, vt Eccle-